

ctis eorum domibus a populo Faventino ob graves discordias, quae fuerunt inter eos, exiverunt civitate Faventiae [a], Cunium [A] et Ravennam se transferentes. De consilio itaque Ravennatum, et infinita pecunia ab eis accepta, predictus Albericus omnes barones et populos de Marchia atque Romania duxit ad obsidem Faventiae, assens omnibus Faventinum populum omnes expulisse nobiles, et eorum uxores interfecisse et filios; in cuius nequissime signum, manus puerorum, et mulierum mamillas omnibus ostendebat. Nominati igitur populi usque ad muros civitatis, segetes, arbores, vineas inciderunt hostiliter. Ravennates propterea modis omnibus [b] ad civitatis destructionem laborabant pro posse, principibus et majoribus exercitus pecuniam offerentes non modicam. Dominum vero Guidonem de Manfredo, et Acharixium et alios plures nobiles, qui in civitate remanserant, ad prodigionem civitatis magnis incitabant muneribus; quod illi flamam egregie penitus contempserunt [c]. Populi nempe [d] civitatum vicissim circum civitatem pugnantes, viros et mulieres aliquando quiescere nullatenus permittebant. Balneabant se hostes in fluvio ante portam; ludebant civibus insultantes, ignemque sub arcu [e] pontis [f] ponentes. Dum haec ita geruntur, cum cives labore, vigiliis et bello perpetuo [g] nimium fatigati, quasi de salute desperare cogerentur, ecce subito venit auxilium coelitus missum [h] et patriae salus [i], Guido Guerra Tuscine comes; quo quidem viso, fessi robur sumpserunt, omnes Christum laudantes, ceu vidissent Angelum Domini. Audito in exercitu quod tantus civibus succurret et princeps, quidam comiti propinquitate conjuncti, alii fidelitate suppositi, exercitum relinquentes, ad propria reversi sunt loca. Die vero tercia, post comitis adventum, cives sperantes in Nomino, et tanti domini freti auxilio, hostes viriliter aggressi [j], usque ad ecclesiam Sancti Antonini [k] ipsos viribus prostraverunt [l]; deinde, divina favente gratia, totus exercitus [l] versus est in fugam non modicam. Ex quolibet itaque populo multi remanserunt in vinculis, vulnerati atque imperfecti. Vox Ravennae audita est, ploratus et ullulatus multus. Plorant enim cives suos, qui pro omnibus [m] perierant, eo quod plus peccaverant.

[a] exiverunt civitate Faventiae. Codd. habent exiverunt civitatem Faventiae, et sic saepe constructur verbum exeo apud Tolosanum. — [b] propterea modis omnibus, Cl. Mitt. In C. V. praeterea modis omnibus. — [c] quod illi tamen egregie penitus contempserunt. Sic C. V.; Cl. vero Mitt. C. M. legit sic: quod illi etiam audire contempserunt, vel quae illi etiam recipere contempserunt. Prima dictio dupli modo evolvi potest in C. M., videlicet vel per quod, ut habet C. V., vel per quae, ut a Cl. Mitt. probatur, et nobis magis etiam arridet. — [d] Populi nempe, C. M. Alii legunt namque. — [e] ignemque sub arcu; particula que per nos addita. — [f] et bello perpetuo. Sic Cl. Mitt. legit; alii vero legunt praeliis. — [g] coelitus missum. Sic lego C. M.; alii legunt vicinum pro missum. — [h] et patriae salus, C. V. In C. M. conjunctio et non bene appetet, sed adesse videtur. — [i] viriliter aggressi, C. M. In C. V., acriter. — [k] viribus prostraverunt. Sic Codd. — [l] totus exercitus, C. V. At Cl. Mitt. in C. M. legit omnis. — [m] qui pro omnibus. Sic C. V. et Cl. Mitt. An potius legendum qui plus omnibus?

[A] Cunium. Castrum olim, nunc villa, prope Lugium, a nobis septem milliariis dissita; vulgo Cunio.  
 [B] Ecclesia Sancti Antonini adhuc superest in suburbio Faventiae; et antiquissima sane habetur.